



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 92. Rex Duci delictum condonat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

Sæcul. XV.
A.C. 1408.

debat, Ducis necem justam æque ac necessariam fuisse, & in simili eventu cuique fas esse, Tyrannum occidere; Hinc Burgundum non solum nulla pœna ob cædem Aurelianensis plectendum, sed potius gratia, aliisque præmiis honorandum esse, non fecus ac S. Michael præmio decoratus est, eoquod Luciferum cœlo expulerit, & Phinees, quod Zambri vita privaverit.

§. XCII.

Rex Duci datis tabulis gratiam delicti facit.

Monstrelet.
vol. I. c. 38.
Et 39.

Equidem saniori Auditorum parti hæc apologia admodum injuriosa accidebat, nihilominus optatum fortita est eventum. Cum enim Rex imbecillioris esset ingenii, & facile aliorum precibus flecti se pateretur, aliunde vero Burgundiæ Dux magna apud ipsum valeret auctoritate, postera die Dux in gratiam Regis rediit, quinimo veniæ, seu regias condonati criminis tabulas obtinuit. Verum, cum post aliquot menses in Flandriam regressus esset, bellum adversus Leodienses moturus, Ducis Aurelianensis Vidua Burgundi absentia opportune usura Parisios contendit, tum ut a Rege occisi sui Conjugis peteret ultionem, tum

tum etiam ut debitas exposceret poenas Sæcul. XV.
A. C. 1408.
ob atroces criminationes, quas Joannes
Parvus adversus Ducem effutiebat, par-
ricidium in ejus Persona commissum de-
fendendo, atque illius memoriam infam-
iæ maculis obfuscando.

§. XCIII.

Rex datas tabulas rescindit.

Aurelianensis Ducissæ caussa in Lu-
paræ Palatio per Abbatem S. Diony-
sii Benedictinum, & Guilielmum Cusi-
natem Regii Senatus Advocatum tam
prospero successu pertractata fuit, ut
Rex tabulis gratiæ, quas Duci Burgun-
diæ concesserat, rescissis, eum regni ho-
stem esse declaraverit. Ceterum hæc
Regis indignatio non diu admodum per-
duravit. Postquam enim anno necdum
evoluto Burgundiæ Dux victricibus ar-
mis iterato Lutetiam Parisiorum ingre-
diebatur, de nova actum est reconci-
liatione. Hoc vero tam vehementi do-
lore Aurelianensis Ducissæ animum ob-
ruit, ut præ mæroris vi, ut credebatur,
animam exhalaverit.

§. XCIV.

Pax inter Regem & Burgundum.

Hujus Ducissæ obitus satis expeditam
sternebat viam ad conciliandam Bur-
gundo